

Sammelbd

Außen: Jhd

13⁺ Altk. 13. August

9.

דוד

EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM

De

RACHELIS DELICIIIS

Dudaim,

Ad Gen. XXX. comma 14.

Publico *συμφιλολογημάτων* submituntur Examine

PRÆSES

M. MICHAEL Liebentanz /

&

RESPONDENS


JOHANNES Liebentanz /

Vratislavienses,

A. D. XVII. Novembr. A. O. R. M DC LX.

in Auditorio Minori,

horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Literis MICHAELIS Wendt.



EXERCITATIONE PHILOLOGICA

DE

RACHELIS DELICIS

Dubium

Publico auctoritate submissa Examinii

1782

M. MICHAEL LEBERMANNS

ASSONENSIS

JOHANNIS SEBASTIANI

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris

in Auctoris





On fidei dogma omne est, quod in divinisissimis ex-
 stare Voluminibus voluit Deus Gloriosus. Et alius omni-
 geneæ Materie consummatissimus inibi monstratus Ho-
 mini est Theſaurus. Inde Artem auctare suam poteſt
 Historicus, Prudentiam suam Ethicus & Politicus,
 Scientiam suam Chronologus, Geographus, Physicus. Et huic quidem
 toties sit suppetias sacra Pagina, quotiens vel Naturam vel Qualitates,
 vel Species Corporum Cælestium, Siderum ex dispositione lucentium,
 Elementorum, Meteororum, Lapidum, Gemmarum, Metallorum,
 Plantarum, Brutorum & aliorum id genus laudat. Generationem po-
 tissimè Arborum & Herbarumq; mirandam tam sollicitè persequitur, ut
 Præcepta Phytologica tantum non absolutissima concinnari exinde
 possent. Quippe enumerat, quæ ante earum præstò esse oportet Genera-
 tionem, putà, Semen, Calorem Solis, Humorem. Recenset, quæ post
 Generationem prodeunt, nempe Radicem, Germen, alia. Etiam Con-
 sequentium eandem meminit, qualia sunt, Stipes cum Cortice, Ra-
 mi, Surculi, Folia, Flores & Fructus. Demum tantam Specierum ex-
 ponit Farraginem, ut ad Classes à sedulo Compilatore certas aut penè
 non redigi possint, aut sanè difficulter. Aliquam huicæ tam rei con-
 tulit operam M. Georg. Stampelius Lingvæ S. in Acad. Franco-
 furt. olim Professor in Hypotyposi Theologiae disp. XIII. quam
 Cosmographiam sacram inscripsit p. 182. seqq. qui videatur.
 Dolendum duntaxat est Incertitudinem, immò Nescientiam, quam
 vel Lingua peregrina, vel Locus remotus admodum, vel Temporis
 injuria, vel Interpretum immanis Dissensus peperit. In pluribus enim
 ita hæremus ancipites, ut Nomen quidem, Rem verò valdè con-
 fusam sciamus. Quoruscumque accuratè novit, quæ sit Ficus, unde
 ὄνη, sibi connexere Protoplasti, quid Gopher, quid Dudaim,
 quid Lactuca silvestris, Hyssopus quæ parietaria, quæ Colochintis,
 quid Myrica deserti, quid Cicajon? Dubia singula sunt. De Dubiis
 ergò & incertis cum maximè laborandum sit, conferamus Sententias,
 ut inveniamus tandem & acceptemus, quod veri præprimis erit
 simile. Periclitabimur hæc vice Vires in DUDAIM Eximiâ Sacre
 Botanice Plantâ: Ut autem FELICITER,

בְּיָמֵינוּ

A 2

De

DUDAIM.

§. I.

BInis modò vicibus in Ebræo Codice hanc offendere vocem est: Primum Genes. XXX, 14. seqq. ubi ludicra & puerilia Conceptionis Isachareæ Auspicia, DUDAIM Mercede coëmto à Leâ communi Marito, memorat Sacer Historicus. Pòst Cant. VII, 13. ubi ad Verni Temporis Amœnitatem evehendam adducitur; DUDAIM dederunt Odorem suum. Quantò igitur Vox rarior, tantò majora suscepta ejus gratia litigia sunt, ut Pars desperarint Expositionem certam, ac τὸ ἐπιχειν propterea sustinuerint; Pars sententiam, quam sibi convenientissimam fore erant persuasi, haut sine Contentionis cum aliis reciprocata ferrâ defensam iverint. Nos eâ, quæ decet mediocre Ingenium, grassabimur viâ, ἐπιχωλῶ quorundam doctorum imitaturi. Neq; id in re undiquaq; dubiâ à quopiam nobis vertetur vitio; aut si tales fortean pati Manes oporteret, pro nobis falsè ludens alicubi Drusus regeret: *Sacræ Philologiae addicti placent a non sumus, ut omnibus placere queamus, nec verò esse debemus, cum nec omnes nobis placeant, & in nostro foro sumus Judices.*

§. II. Genus proinde ac commune quid ponimus; DUDAIM fuisse Flores vel fructus certos, agrestes, Orientalibus in Locis Mense Majo quasi extremo maturescentes, coloris, vel odoris, vel saporis gratissimi, eoq; Nomine amabiles. A Nomine autem, tanquam ab Ovo, ordiemur, primùm Etymologiam visuri. Speciem refert Vox דודאים aut Numeri pluralis Chaldaico-Ebræi, דוד Jod in minus usitato singulari דודי mutato in ד & דוד (-) in (+) uti ex דודי factum דודים vel Ebraicè דודים, Aut forma Norma; Nominis est sicut דודים Prov. IX, 8. Confer. Ampliè. Dn. Andreas Sennertus in Chaldaism. p. 56. ann. 1. דודים 1. Par. XII, 8. דודים Cant. VII, 1. V. Cl. Buxi. Thesaur. Gr. p. 32. Edit. IV. Committantur quoq; jam laudati Dn. Sennerti Ebraism. p. 70. ann. 3. & p. 102. lin. 11. Posterius tamen non facile adseveraverim, cum Radix non sit דוד nostræ voci.

Quoq;

Quoquomodo autem forma Nominis comparata sit, *שָׁמַיִם* est *שָׁמַיִם*, usurpatum de Adfēctū Amoris, dilectumq; ac charum notat. Horsum reducit vocem *שָׁמַיִם* Försterus, mammam quæ indigitat, illamq; nostram cum hâc convenire ex Philipp. Melanchthone *Dn. D. Geierus in Proverb. Salomon. p. 250.* observat, eò quod Ubera propter pectus & complexum significent Amorem & tantum in Genere humano pectori addita sint, ut lac nimio calore & Spiritu Cordis melius coquatur, & ut Spiritus transfundat *שֶׁמֶץ* & Amorem in Natos.

§. III. Quod ad Homonymiam; Nonnisi semel sub hâc Scriptione in Statu constructo *Jerem. XXIV, i.* occurrit *שָׁמַיִם* Sportas sive Calathos notans. D. Försterus ad eandem Radicem cum nostrâ voce reducens, significare ait, Vasa ad figuram Uberum formata. Cui simile Talmudicum *שָׁמַיִם* quod, Expositore *Buxtorfo Lexico Chald. Talmud. Rabbinico p. 507.* Epistomium Labri signat, vel alterius Vasis, aquam continentis, quod instar mammæ muliebris factum erat & aquas effundebat. Synonyma reputantur, *שָׁמַיִם / שֶׁמֶץ / שָׁמַיִם / שֶׁמֶץ / שָׁמַיִם / שֶׁמֶץ*, *מַנְדְּרָגוֹרָא פִּימָה*, Mandragora Poma, quibusdam Mandragoras herba, Viola, Lilia, Morion, &c. Et quis omnium inire Numerum potest, cum una quævis Planta suis iisq; haut paucis gaudeat Synonymis. Hæc verò Propria vocis *DUDAIM* *יִסְדִּימָה* esse, ne Demosthenes quidem nobis persuaserit. Hinc postliminiò pluribus sigillatim Virgulam censoriam probabimus.

§. IV. Nomine expedito ad rem paramus transitum. Disjunctivè Flores vel Fructus certæ speciei fuisse *DUDAIM* adferimus, quod & liquet facilè, & nemini Interpretum in mentem fuit hæcenus, Fruticem vel Arborem defendere. Nec radicem quiquam intellexerunt, nisi qui Mandragoram esse, sibi aliisq; persuadere non sine applausu gavisii sunt. At hoc post negabimus. Agrestes esse seu natos in Agro h. e. parte Terræ ejusmodi, quæ neq; mons, neq; silva, neq; campestris, neq; deserti, sed quæ culta vel Arvis est vel pascuis & pratis, docet vox *שָׁמַיִם* utrinq; extans, cujus notationem ita explicuit *B. Förster. in Dictionario Ebr. p. 826.* Sic ex Textu elucet etiam,

tempore Messis triticea; Messis Hordei ferè intra sex Hebdomadarum (spatium) insequentis ac Junias Calendas attingentis, maturuisse fructum vel quicquid ejus fuerit. Postremo addimus, Amabiles illos vel Colore vel Odore vel Sapore gratissimo & ideo à populo illius Regionis magni aestimatos fuisse.

S. V. Ad corroborandam hanc Sententiam principio non parum facit *inuo* $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ quosdam Theologorum & Philologorum erudito Senatu nobis esse. Megalothander enim noster *Lutherus Tom. XI. Witteb. f. 187.* ita ait: Es scheint / daß irgend eine schöne Frucht gewesen sey / da er (Ruben) an der Sorbe Luft gehabt hat / waserley Blum oder Frucht es gewest / kan man nicht wissen. Idem quamvis per speciem noti nobis floris odorem gratum reddentis Cant. VII. exposuerit; in loco tamen Mosaiico retinuit in Versione sua Nomen DUDAÏM: quia hic intererat specialis designatio, illic vero sufficiebat grati & odoriferi floris Nomen, monente *Pl. Rever. Dn. D. Calovio Annotatis ad c. VII. Cantic. Anti Grotianis.* Lutherum sequuntur *Osiander, B. Gesnerus disp. 24. in Genes. p. 587.* addens ex Augustini Ep. 78. potius esse cautam Ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri. Sequitur *B. Helvicus in de Chaldaic. Paraphras.* qui, quod parum referat fatetur, scire, quanam species Plantæ fuerit, quodq; satis sit nosse, delectabilem aliquam Plantam fuisse. Unde & Vinarienses: Sondern Zweifel ist es eine wohlriechende Blume oder wohlschmeckende Frucht gewesen. *Immanuel Tremellius* (ipse baptizatus Judæus) & *Fr. Junius*: Amabiles flores. Interpretes Belgæ vocem Ebraicam in versione ipsam retinuerunt.

S. VI. Deinde Robur Etymologia dictionis aliquod subministrat. Dudaïm etenim vi Etymi flores vel fructus sunt amabiles gratiq; ac jucundi, uti Lexicographorū, addo & Interpretum ferè nullus iturus est inficias. Quod vero *Försterus in Dictionario Ebr. p. 164.* Certum est, inquit, habere appellationem à figurâ Uberum, incertum nobis est. In confesso quidem ab Amando convenienter dici, cum avidè avidè id, quicquid fuerit, expetierit Rachel: At in concessio nondum, figuram Uberum habuisse. A radice Ubera denotante formari posse largiremur, utut
forte an

forteant contra *Clar. Buxtorfium in Lexico Ebr. p. 134.* diversas Radices \aleph / \aleph & \aleph constituentem; veruntamen, non quod figuram eorum repræsentarint DUDAIM; id quippè prorsum nos fugit, sed quod delectabilem Amabilitatem spiraverint. Et aliàs qui determinatam Plantam h. l. tuerentur, bene subordinare noverunt hæc duo significata, proinde nec hic opponant, quæ cum se invicem stare possunt.

§. VII. Acute etiam hoc (Etymon) urgeri à Junio & Tremellio, *Celebris Drusius in Tractatu de Deliciis Rachelipis adfixo Commentario in Ruth. p. 125.* fatetur, sed quod minus persuadeant, nonnulla obstat dicit. Nam, *non persuadent*, inquit, *primùm quod nullam certam Herbam explanant.* Verum, tantum abest, ut hi Daumviri reprehendendi valde sint, ut potius eorum mirificè sit laudanda modestia, quàm nullum ingredi iter maluerunt, quàm in abruptum præcipitatum in valdo hærrere. Pergit: *Ab Etymo non rectè colligunt, ut si quis dicat Malluchim significare Herbas quaslibet salsas, quod ejus Radix Malach.* Sed verò, quidni rectè colligant, cum Argumentum secundarium faciant tantùm Etymi Convenientiam? Ajunt enim: *Nos Reubenis pueritiam spectantes (quam non virtute sed specie motam fuisse constat) & odorem gratum eis attributum Cant. 7. (qui nihil ad Mandragoram pertinet, contra enim Jabrochin Arabibus à hircino odore appellantur) postremò tempus præcox (quo neq; gelseminum neq; mandragora maturæ sunt) eò adducimur, ut amabiles omnes flores elegantia & odore, eosq; humiles hæc voce intelligamus.* De hinc addunt: *Quibus optime convenit Hebræa vox ab amando ducta.* Quidni rectè colligant, cum, qui pro Mandragorâ aut alio quopiam decertant, eodem aut simili utantur ratiocinio à figurâ Uberum vel Notione Amandi desumpto?

§. VIII. Hoc verò videtur maximè carpere Drusius, quod illi Generale constituent Vocabulum, DUDAIM, applicandum omnibus grati odoris floribus. Et in ipso hoc faciles quidem eos possemus deserere, quia omninò Genes. XXX. specialior interest designatio. Attamen nec hoc absurdum, generalem vocem sæpenuerò pro specialiori, latiore pro angustiori accipi, ut \aleph Aromata Exod. XXX, 34. pro Nardo.

Crea-

Creaturam pro homine Marc. XVI, 15. *Όἴκημα*, habitaculum
 pro Carcere Actor. XII, 7. *V. B. Glasf. Rhetor. Sacr. Tr. 1. cap. 14.*
p. 440. Sicuti nec absurdum מלחמא esse vocem latiore, et si
 usu Biblico notare videatur tantum Salislaginosæ Herbæ spe-
 ciem; unde & idcirco litibus Grammaticorum substat. Ob-
 vertit porro: *Quid? cum ollas Dudim dicimus, nomine quidem*
utimur ab eadem radice: sed eequem tam amentem esse putemus:
ut id Nor. en dicat ab Amoribus appellatū, significareq; Vasa quælibet
amabilia? Benè! Etymologiis ridiculis & longè accersitis in-
dulgendum haud est. Neq; etiā Auctores illi id ausi sunt. Et hoc
cavendum, ne spurium arripiatur formale, uti loquuntur quidā,
sed id quod genuinum est omniaq; derivata ambitu suo com-
plectitur. Hinc non ab Amoris sed Uberū Notatione מורר
dici, jam ex Förstero adnotatum. Porro dicit & Drusius:
Quid an ignorarunt, Etymologiam testem fallacem esse? Ajimus
nos. Cum vox aliàs obscura est, nonnihil Lucis juxta alia ar-
gumenta ad significantionem ejus expiscandam adferre potest
Etymologia; & id eò magis, quia in Sancto hoc Idiomate ut-
plurimum significatiōra rebus imposita sunt vocabula.

§. IX. Post Etymon faver nostro adserto Contextus Mosai-
 cus, ex quo redditur palàm, quod DUDAIM Racheli placue-
 rint. Manet verò clàm, quã de causa placuerint. Simplicis-
 simum adsertu relinquitur, vel voluptatis gratiã ex odoris vel
 coloris suavitate hauriendæ, vel Utilitatis & valetudinis ergò
 tantopere ea expetivisse. Ab Odore prædicari, Salomonis Can-
 ticum evincit, & dubio procul, jucundissimo. *Janus* quidem
Drusius l. c. p. 122. videtur iterum adversum nobis tueri, quan-
 do, *Salomo*, inquit, *non dicit exhalare Odorem suavem. Verba*
sunt Cant. 7. Mandragora dederunt Odorem suum. Utrum me A-
nimus fallit, an aliud est dare odorem simpliciter? aliud dare odo-
rem suavem? Attamen vel indocta plebs agnoscat, descripturo
florentissimam veris tempestatem, & commendaturo ejus ob-
lectationem, non petenda argumenta esse ab olentibus malè
Germinibus, sed à talis modi, quæ & mentem pariter & omnes
sensus mulceant. His adjice, Vocem מורר sæpius usurpari de
benè odoratis ac suave olentibus. Cant. IV, 11. Odor vesti-
mento-

mentororum tuorum sicut Odor Libani. Conf. c. VII, 8. Josephus
di *Ἰησοῦς καὶ Βεῶμαρ* & aliàs Rachelem appetivisse narrat.
Si hoc, jucunditate Saporis meritò amabiles fuisse, dicendū est.

§. X. Demum, DUDAIM haud insuaves fuisse, ex consensu
eorum optimè adstruitur, qui speciale quid nominare annisi
sunt. Dum enim Jasminum, dum alba lilia, dum violas intel-
ligi fuere arbitrati, quid aliud nisi odore suavissimo fragrantia
Germina fuisse dixerunt? Et quid agunt aliud, quibus Man-
dragora arridet, quiq; testimonia hinc inde pro Nobilitate &
suavitate ejusdem convasant operosè, quàm ut odorata & ama-
bilia fuisse DUDAIM ostendant? Cæteroquin quando amabiles,
illos vel flores vel fructus fuisse, plus satis certi sumus, non ta-
men Activè sed passivè cum Mercero illud exponi volumus. Id
propterea vix concedimus in Verba Doctrissimi Angli *Nicolai*
Fülleri L. VI. Miscell. Sacr. cap. VI. p. 707. Nomen Hebræum
perinde sonare dicentis, ac si dicas *Philtra* vel *Amatoria*; Un-
de Mandragoras & cupidissimè appetivisse Rachelem & æger-
rimè eidem concessisse Leam. Illam, ne quid Sorori suppeteret,
quo Mariti, à se amor ad eam transferretur, hanc, ne quâ re ca-
reret, cujus beneficio conciliari possit idem Amor atq; con-
firmari. Ad eum ferè sensum loquitur & *Levinus Lemnius c. II.*
de Herbis Bibl. p. 15. 18.

§. XI. Imò *Gvilielm. Stuckius Antiquit. Conv. lib. 3. c. 8. p. 333.*
quem de Mandragora eleganter & doctè ex sententia sacra-
rum litterarum, ita ut nihil fere in hoc genere desiderari queat,
differere dicit *Dominicus Chabræus Tom. III. Histor. Plantar. lib.*
XXXIV. p. 615. minus nobis elegans est, dum non veretur ipsam
Rachelem Philtri Ethnico modo rituq; usurpati insimulare.
Primum enim, etsi concesserimus, Rachelem primitus gentili-
tiis fuisse innutritam ritibus ac moribus, ad sociatam autem
Viro sancto tot Annis sanctissimam sceminam, pagano ritu Du-
daim philtri gratiâ adfectasse, dicere nefas duxerimus. Deinde,
Rachelem Philtro indignisse, quàm impensè alias amore pro-
sequebatur Jacobus, absonum dictu est. Lex usus erat Philtro,
quippe quam averfabatur Maritus. Postea, satis crasse disserit,
qui quod in vulgus aliàs familiare est, Philtra Amorem mutuum

B

con-

conciliare adferit, ita, ut qui amantem non redamat, pharmacis cogi possit, ut repugnans & invitus etiam amantem redamet. Legatur *Celeberr. Dn. Sennertus b. m. Lib. I. Practic. Part. II. cap. 10. p. 133.* Quod ex vulgi Sententiâ supponitur præterea hîc, acutum diluemus, aut incertum reddemus ad minimum.

§. XII. Genere monstrato & demonstrato, specialiora andari queant, dispiciendum est. Id quod an fieri pote, valdè ambigimus, cum omnia quæ adferuntur, infirmiori nitantur fundamento, eoq; minori Virtute, ut diruantur, egeant. VIOLAS esse DUDAİM communis inter Judæos opinio est. Ita enim Chaldaicum יברורי reddunt. At verò, etiamsi fragrantissimi sint Odoris Viola, inq; Regionibus fortasse calidioribus frequentes oppidò, tamen defectus rationum probabilitum & diversitas sententiarum hîc litem auget. *R. Salomo Jarchi* enim in Lingvâ Ismaëliticâ ויסמין, *R. Levi* סיגליו vocatas vult. Sic nimirum in *Sanbedr. fol. 99.* de DUDAİM disceptant Talmudicî. Quæritur, quid DUDAİM? Dixit Rabh, יברורי Mandragora: Levi dixit סיגלי *R. Jonathan* dixit סכיס. Adeò in Nomine statim non conveniunt, multò minus in Re. Jasminium enim communiter, uti vidimus, constat sex foliis, verum de סיגלי ita *Schabbas fol. 50. 2. citante Buxtorfo in Lexico Chald. Talmud. Rabbinico p. 1443.* סיגלי עשב שקורין וויל בו שלושה עליו: *Siglin Herba est, quam vocant Violam, & sunt ipsi tria folia.* Taceo, non Arabicè, sed ex Græcorum Imitatione potius ab יבוסוא, medicato Odore vel Viola Odore Jesemin dici. Arabes enim Jambach & Sambach dicunt, ut ex Serapione refert *Baubinus in Pinace lib. XI. sect. 2. p. 397.* vel Sampfuchum, uti notat *Jacob Golius in Lexico Arabico p. 1213.*

§. XIII. LILIA notari Franciscus Georgius Venerus apud *Sixt. Senens. l. 5. Annot. 109.* itemq; *Oleaster in Gen. 30.* autumant, nixi his rationibus. 1. quod DUDAİM sint à מם mammam significante, Bulbus autem Lillii Mammæ speciem gerat. 2. quod alha Lilia Majo Mense proveniant. 3. quod Lilia ista, utpote calida multum profint fecunditati. Veruntamen reponimus. Talem Argumentationem meros parere Syllogismos in secundâ figurâ adfirmantes, adeoq; vitiosissimam esse. Quærimus למאי

לְמַמָּה לְמַמָּה לְמַמָּה Quomodo id sequatur? DUDAIM
 Mammæ speciem repræsentant, Mense Majo proveniunt, fœ-
 cunditatem juvant. Et Lilia Mammæ speciem in bulbo repræ-
 sentant &c. Ergo Lilia sunt DUDAIM. Sic enim plura longè ejus-
 dem figuræ, quam forte vi Phantasiæ fingeret quispiam, plura
 eodem tempore florentia aut fructum maturantia, iisdem Vi-
 ribus pollentia Germina ex Botanicis Voluminibus consti-
 pari, opinor, possent, nec tamen Rachelis Delicias reputare-
 mus. Deinde, *quis tam Hospes est in hac Lingvâ, ut nesciat Lilia
 Sofanim appellari?* quærit Druſius d. l. Speciatis. si Buxtorfio,
 at quanto Viro! habenda fides non à ךך DUDAIM vox natales
 habet, uti ex Lexico pariter & concordantiis liquet. *Jacobus
 Bonfrerius Societat. Jesu Theolog. Comment. in Genes. p. 252. reddit;*
 id quod illi Radici Liliæ tribuunt, sc. quod mammæ speciē gerat,
 posse nos dicere de Pomo Mandragoræ. Sic odor, quem Liliis
 tribuunt, æq; in Jasminis Violis vehemens, & propè vehemen-
 tior est; Illas tamen DUDAIM fuisse, pauci credunt.

§. XIV. Ad id, quod vim fœcundandi in Liliis urgent adeo,
Bonfrerius d. l. regerit: Supponunt, inquit, de quo nihil constat,
nec scriptura quidquam innuit, nec verum censet Augustinus. Rache-
lem ad fœcunditatem sibi conciliandam tantopere has Mandragoras
experiisse, quandoquidem nec tunc Rabel conceperit, sed annis ali-
quot postea, non Mandragorarum beneficio, sed divino, Munere.
 Hisce geminæ sunt, quæ habet *R. Moses Nachmanides*, qui &
Gerundenſis audit, citatq; Dominicus Chabræus Histor. Plantar.
Lib. 34. p. 614. extr. videtur mihi, inquit Rabbi, Leam DUDAIM
propter bonum Odorem delectatam, nec conceptionem medicinali
Herba sed precibus à DEO impetrasse. Hæc illi non malè. Quod
 autem Rachelem non antè, sed annis aliquot post Altercatio-
 nem transactam prole donatam esse persuasi sunt cum Augustis-
 simo Patrum, in eo hallucinatos esse eos remur. Idq; ob Nar-
 rationis historicæ *ὁσεγγλογίας*, quam in nativitate Josephi
 describendâ observavit Mofes. Enim verò (*uti D. Glassius ךך*
Grammat. Sacr. Lib. IV. Tract. II. observ. 29. p. 754. & in Mar-
ginalibus Notis ad Tremellij versionem circa Gen. c. 29. Junius mon-
 nent (secundo septenario incunte gignere Jacobus cœpit

Gen. 29. 20. hisq; septem Annis sex Liberos, Ruben, Simeon, Levi, Judam, Dan, Napthali sustulit; sub exodium vero *intransit* hujus ab opprobrio sterilitatis liberata propitio Numine, Rahel Josephum enixa est c. 30. 22. Interim Lea effceta reddita in principio sexennii sequentis ex Zilpâ binos natos, Gad & Aser, rursus sustulit Jacobus. Ab hoc tempore per occasionem Rubenis DUDAİM afferentis, Lea quæ aliquamdiu defliterat eniti, Sorore consentiente, denuò partum fecit, ut aded consentaneum vero sit, non eo fine atq; consilio Rachelem à Sorore DUDAİM eblanditam esse, ut Esu illorum Conceptui effici possit idonea. Jam enim una prole ferax facta erat. Tametsi autem daremus, DUDAİM fuisse Lilia nondum evidum est. Eo enim jure Gelfeminum dici posset, quippe cui usum, quem intendunt & Vires. ad signari, *Johannes Schröderus Pharmaco-pæja Medico-Chym. lib. IV. p. 85.* auctor est.

§. XV. MANDRAGORAS esse DUDAİM volunt non pauci, quin ad unum omnes propemodum Authentice Versionis Latinæ Patroni. Cumq; speciosis adjuti Argumentis rem agant, facillimè persuadent, at non convincunt. Nam vox Chaldæa *מַדְרַגְרַיִם* ab Oncelo & Jonathane adhibita, quam Mandragoras significare ex Arabica Lingvâ & Rabbinorum testimoniis liquere ajunt, ambigua est, & per Violas & Lilia reddi solita. Videtur etiam generale quoddam Nomen, sicut *מַדְרַגְרַיִם* esse, vi Radicis Arabicæ, quæ inter alia *Cl. Golio* notante in *Lexic. p. 249.* placuit, *arrisit, in sui admirationem & magnam de se Opinionem conjecit*, notat, adhibitamq; malè aded ad designationem certæ Plantæ. Quanquam Junius ab Hircino odore derivatum vult, quia *מַדְרַגְרַיִם* Targumicis Hircus, Caper est. Et Concedamus, Vocem *מַדְרַגְרַיִם* Mandragoram notare Arabibus; sic enim *Camusus* in Opere suo, Oceani nomine inscripto, ipse plurimos in Arabiâ versatus Annos, scribit, tamen utrum à Chaldæo rectè fuerit adsumtum Interprete, haud injuriâ ambigitur. Uterq; sanè post Versionem à LXX. Græcis exaratam vixit, scripsit, indeq; petere, quod facerit, potuit. Et de Jonathane, qui Pentateuchum interpretatus est, hæc enq; explorati Juris est, Eum Græcam versionem bonâ fide & pede pressissè. Reddunt
autem

autem LXX. *μηλα mandragoran*. Quis verò fidem faciet nobis, Interpreteres illos, nam falsò Θεοπειυσίας eis adscribunt Papicollæ, Ebræam vocem ritè esse adsecutos. Certè Augustin. Steuchus, Episcopus Xisamenfis, citante Amamâ in A. B. p. g. pronunciare non erubuit, eos non adeò exquisitè Grammaticam Ebræam calluisse.

§. XVI. Deinde oblectamenta illa Rachelina vix Mandragoras fuisse, hæremus idèd : Aut enim Mandragora intelligitur falsa aut vera. Falsam dico, cujus fraudem detexit Matthioli in Dioscorid. lib. IV. c. 71. ita scribens: *Vanum ac fabulosum est, quod Mandragora Radices ferant, que humanam effigiem representent, ut ignarum Vulgus & simplices mulierculæ certò credunt & adfirmant, quibus etiam persuasum est, eas effodi hautquam posse, nisi cum magno vita periculo, cane qui effodiat radicibus ad alligato & auribus pice obduratis, ne radicis clamorè audiant effodientes, quod audita voce periclitenter pereant, fossores; Quippe Radices illæ, que humanam formam referunt, quas impostores ac nebulones quidã venales circumferunt, infæcundas mulieres decepturi, factitiæ sunt ex harundinum, Bryonicæ aliarumq; plantarum radicibus. Sculpunt enim in his adhuc virentibus tam virorum quàm mulierum formas &c.* Sexus hujus differentias nativas quidem R. David Kimchi & R. Gerundensis crediderunt, non radicem tamen quæ effigiem capitis & manuum habet, sed ramulos aut fructus ejus, qui sunt sicut mala, & benè odorati, Leæ Rubenum attulisse, R. Gerundensis arbitratus est. Credat recutitus Apella, non Ego.

§. XVII. Veram quod concernit, uti ex insignioribus Botaniciis addidicimus, tres sunt. Mandragoras mas vel albus fructu rotundo, Mandragoras niger seu femina fructu pyri, & ille Theophrasti, quem Solanum somniferum, Morion alii, alii Belladonnam appellant. Et ultimam hanc speciem à quibusdam pro DUDAIM habitam esse, B. Lutherus refert : Von Solano versteht man auch der andern viel, die es Frucht eine sehr schöne Farbe hat, und darzu auch einen guten Schmaek, und man brauchts viel in der Arney. At apage illa Bellaria, quæ in recessu venenum habent, in fronte Pharmacum promittunt. *Solanum illud*

Soporiferum est, mentem conturbat, insaniam facit, si pauciores bacca sumantur: plures verò etiam interficiunt, citam festinamq; mortem inferentes, ait R. Dodonæus Histor. Stirpium Pemptad. III. Lib. IV. cap. 28. p. 457.

§. XVIII. Neq; in aliqua Mandragorarum Dioscoridis excellentiam & suavitatẽ invenire licet, ut idcirco pro DUDAIM venditentur. Fœminam *Carolus Clusius l. 5. rariorum Plantarum c. 3. p. 86. Ἀντινής* ipse supra Gades, non procul ab Urbe Xerez de la frontera dicta ad arborum margines initio Febr. Anno 1565. florentem describit, *folia cujus sint angustiora, minora & nigriora quàm maris, magis & rugosa, crispag, viriosa & graveolentia, & humi expansa: inter quæ longi pediculi exsiliunt per terram sicuti, quibus insident flores, Melopeponum floribus formâ ferè similes, coloris ex cæruleo purpurascens: quibus succedant fructus, non turbinati in sarpyni, (Dodonæus contra turbinatos vult, Sorbi aut pyri effigie) sed rotundi, Vesicarie fructu triplo majores, initio virides, maturitate pallescentem ex luteo colorem adquirentes, odorati (malè, haud dubiè. Dioscorides enim l. 4. c. 71. admodum gravem & injucundum Odorem fœminæ tribuit) succi pleni, semine abundantes plano & c. Quid hic nobilitatis aut suavitatis majoris præ Lilio aut Jasmino? Graveolentia singula esse audimus, folia, flores, fructus, cum tamen sacra pagina ab odore amabili commendet DUDAIM. Proinde hujus intuitu *Ambrosius Serm. 19. in Ps. 118. n. 4.* distinctionem inter Mandragoram Masculam & fœnellam excogitavit, quam gravis, illam odoris suavis esse adserit.*

§. XIX. Et verum est Marem aliter quadantenus, & quidem quoad Mala rotunda, lutei coloris, relucens lævoris, soporifero odore suaveolentia à *Dodonæo p. 457.* depingi. Verum est, *Augustinum* etiam, ipsomet fatente *lib. XX. contra Faust. cap. 56.* oblatum aliquando Mandragoram se comperisse odore grato, gustu insipido. Contrà tamen Dioscorides, eam, odorem cum gravitate spirare, *Chabræus sæpè laudatus p. 617.* folia fœtida, florem odore fœtido esse adfirmat. Haut disparis Conditionis esse fructus, faciliè quis dixerit.

§. XX. Quod deniq; ob vim ὑποπικύ, Veneri aliàs gratam ac amicam, desiderasse *αιθραπίμορφον* juxta Pythagoram,

ram, & Semihominem Herbam, juxta Columellam, Rachelem defendunt quidam, ut defectum Somni hæcenus passa, soporem sibi conciliaret, quæ Bonfrerii quidem, & à Scripturâ alienissima mens est, vel ut facultatis Pomorum ante conscia purgato utero aptior ad concipiendum redderetur, quæ Chabrai sententia est, illud petere principium nobis dicitur, supraq; in dubium vocatum est. Et vocatur adhuc ab iis, qui somniferâ facultate præditas plantas ex frigiditate impensâ soporem inducere existimant, in quo operosus est admodum Lemnius d. l. p. 16. Aliud Magnus SENNERTUS Lib. VI. Practic. Part. VII. cap. 10. p. 1095. docet; ubi: *Vulgò, inquit, Mandragoram refrigerando nocere creditur: tamen sapor amarus, odor gravis, pruritus & ardor intolerabilis, qui totam Corporis superficiem adurit, Lingvæ & Oris Ariditas contrarium docent. Ita nimirum irritò & infelici conatu omnia ad manifestas qualitates reducere nonnulli laborant. Rectius omnes illi Effectus, quibus nocet Mandragora, ad vim venenatam & occultam proprietatem reducuntur.*

§. XXI. Nocumento itaq; est Mandragora, quia viribus pollet narcoticis, non quoad Radicem modò, sed & ipsa Poma, quæ malignitate non carent, immò solo halitu soporifera sunt. Id autem in seipso expertum testatur Levin. Lemnius l. c. p. 17. *Quum æstivis mensibus (nam eo tempore poma Mandragoræ se profecerunt) semel atq; iterum in museo nostro amabilem ac speciosum ejus stirpis fructum negligentius collocassem, ita somnolentus sum effectus, ut agrè sopor excuti passit. Quum autem obnixè oblectarer somnolentiæ, illamq; excussisse conarer, agrè id obrinui, nec rationem tanti veterini inire potui, tandem quum quaqua versus dimovissem oculos, obtulit se à tergo pomum Mandragoræ, quo amoto atq; in alium locum translato, factus sum alacrior atq; torporem depuli. Majora adhuc incommoda de succo è pomis presso excitari B. Sennertus d. l. immò largiori potu sumtum, vitam prorsus adimi laudatus Dn. Chabraeus p. 617. experienciâ freti censent. Valeant Ergò, qui tantæ malignitatis poma, tanquam Delicias ad esum, vel usum quemcunq; alium expetita à Rachele haut tantum, sed communiter in calidiori Regione à Pastoribus esse adferre fatagunt. Insignis Experimentissimi Bauhini Labor quidem faceret, ut suffragari eidem deberemus: Statuit enim is*
Du-

DUDAİM, esse speciem Palmæ humilem longis latisq; foliis, Musam dictam Tabernæmont. Matthiol. *Palam* Clusio, cujus fructus suavissimus sit, formam Cynosbatorum, et si majorum q. referens. At, quis eruditorum hactenus in Ejus iverit sententiam, aut, an acriter tutari eam, sit conveniens, nondum vidimus. Quid plura? Quid DUDAİM fuerint in specie, certò NON LIQVET. De aliis Sacræ Botanicæ Plantis, quemadmodum sedebat Animo, pluscula proferre, chartæ Angustia prohibet. Quocirca brevìa hæc adjicimus

COROLLARIA.

- I. Arborem אֵילָן Gen. VI, 14. esse speciem quandam Pinus Resinam sudantem, dictam Laricem, probabiliter adseritur.
- II. מַרְרִיָּה Exod. XII, 8. pro quo μαρρῖδα Græca, Lactucas Silvestres Latina, bittere Salsen Germanica Lutheri habent, non unam amarā ac subacerbā Herbam in Esu Agni Paschalis adbibendam significat.
- III. עֵרְעָר Psal. CII, 18. non est Nomen Planta, Myricam sive Arborem solitariam notans.
- IV. קִיקִיִּון Jona, optimis Autoribus consentientibus, Ricinus est Vulgaris Baubini, Kerua Arabibus, Germanis Wunderbaum dictus.

Ad

Doctissimum suum

LIEBENIANTZIUM.

MERCURI TIBI jura placent, & mira RAHELIS munera, MANDRAGORAS, quæ vocitare solent. Ardua moliris; res est dignissima laude, perge ita! MERCURIO MANDRAGORISQVE clues.

Animo pariter ac calamo votivo,

M. Georgius Caspar Kirchmajer,
Facult. Philos. Adjunctus.

153 044

ULB Halle

3

003 484 998





5b

ATB 153 044

VD 17







9.


בְּרַחֵל
EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM
De
RACHELIS DELICIIIS
Dudaim,

Ad Gen. XXX. comma 14.
Publico συφιλολογησαντων submittant Examine
PRAESES

M. MICHAEL Liebentantz /

et
RESPONDENS
JOHANNES Liebentantz /
Vratislaviensis,

A. D. XVII. Novembr. A. O. R. M DC LX.
in Auditorio Minori,
horis matutinis.



WITTEBERGAE,
Literis MICHAELIS Wendi.

